Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Briefe - Cod. Aug. perg. 83

Paulus <Apostel, Heiliger>

[S.l.], [11. Jh.]

Argumentum epistolae Pauli ad Thessalonicenses

urn:nbn:de:bsz:31-11851

Visual Library

p uobis. & p his qui s laodicie. & qui hierapoli. Salutat uos lucas medicus karissimus. & demas. Salutate fratres. qui s laodiciae. & nimpham. & quae in domo eius est. ecclesiam. Et cum lecta fuerit apud uos epistola facite ut & in laodicensium ecclesia legatur. & eam quae laodicensium est. uos legatis. & dicite archippo; Vide ministerium quod accepisti in domino. ut illud impleas. Salutatio mea manu pauli; memores estote vinculorum meorum; Gratia domini ihesu vobiscum. Amen. LAODICENSES.

ARGUMENTUM EPISTOLAE PAULI AD THESSA

Thessalonicenses sunt macedones. qui accepto uerbo ueritatis. perstiterunt in fide. etiam in persecutione ciuium suorum; praeterea nec receperunt ea. quae a falsis apostolis dicebantur; hos conlaudat apostolus. scribens eis ab athenis. per timotheum diaconem. & onesimum acolitum. THESSALONIC.

INCIPIT EPISTOLA PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES

Paulus. & siluanus. & timotheus. ecclesiae thessalonicensium. in deo patre. & domino ihesu christo; Gratia uobis & pax a deo patre & domino ihesu christo; Gratias agimus deo semper pro omnibus uobis. memoriam facientes in orationibus nostris sine intermissione. memores operis fidei uestrae. Et laboris. & caritatis. & sustinentiae spei domini nostri ihesu christi. Ante deum & patrem uestrum; Scientes fratres dilecti a deo. electionem uestram. Quia euangelium nostrum. non fuit ad uos in sermone tantum. sed & in uirtute. & spiritu sancto. & in plenitudine multa. sicut scitis quales fuerimus in uobis propter uos. Et uos imitatores nostri facti estis. & domini. excipientes uerbum in tribulatione multa. cum gaudio spiritus sancti. Ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in macedonia & in achaia.

A uobis enim diffamatus est. sermo domini. Non solum in macedonia & in achaia. sed in omni loco. fides uestra quae est ad deum. profecta est. Ita ut non sit nobis necesse quicquam loqui. Ipsi enim de nobis adnuntiant. qualem introitum habuimus ad uos. Et quomodo conuersi estis ad deum a simulacris. Seruire deo uiuo & uero. & expectare filium eius de caelis. quem suscitauit ex mortuis ihesum. qui eripuit nos ab ira